

Zur Kritik und Erklärung.

I. Vahleni adnotationes ad Ciceronem et Petronium.

Pro Roscio Amerino 15, 44: *An amandarat hunc sic, ut esset in agro ac tantum modo aleretur ad villam? ut commodis omnibus careret? Quid? si constat hunc non modo colendis praediis praefuisse, sed certis fundis patre vivo frui solitum esse, tamenne haec a te vita rusticana relegatio atque amandatio appellabitur?*

Scripsi verba, ut Halmius edidit: quorum haec est in libris scripturae discrepantia: *haec a te vita et rusticana — haec attente vita et rusticana.* Unde vulgo *haec attenta vita et rusticana.* Repudiavit iure suo Halmius *attentam vitam*, quae nec per se potest placere et a nullo antiquo exemplari commendatur. *Attente* enim, quod in quibusdam legitur, id mihi videtur ex *a tene* ortum esse ut olim bis posita interrogandi particula in aliquo vetusto codice exaratum fuerit: *tamenne haec a tene vita.* Ut optio sit sive hanc *tamen haec a tene* sive probatam Halmio scripturam *tamenne haec a te vita* asciscendi. Velut cum in Medicei epistolarum ad

Atticum I, 13, 4 *semel perperam repelitur nihil legatur: Nihil come, nihil simplex, nihil ἐν τοῖς πολιτικοῖς nihil honestum, nihil illustre, nihil forte, nihil liberum*, editores quarto loco deleverunt, debebant tertio: *nihil come, nihil simplex; ἐν τοῖς πολιτικοῖς nihil honestum* e. q. s. Nostro loco idem Halmius *rusticanam relegationem* dici intellexit, non *vitam rusticanam*, quae vulgo placuit. Unum illum quoque praeteriit, et quod in libris ante *rusticana* legitur, ex ei' h. e. eius leviter depravatum esse: ut sic demum labes omnis abstergi videatur: *tammenne haec a te vita eius rusticana relegatio atque amandatio appellabitur?*

In eadem oratione 27, 74 non puto Halmium Wolfenbüttelani (G) scripturam recte explicuisse: *Quo modo occidit? ipse percussit, an aliis occidendum dedit? Si ipsum arguis, Romae non fuit: si per alios fecisse dicis, quaero servosne an liberos?* Pro quaero enim codex, quem dixi, exhibet *queros quos*, quod Halmio depravatum videtur ex *quaero, per quos*. Id quod illi ita placet, ut cupiat in codicibus inveniri. Ego non licere ea discrepantia ad emendandum Ciceronem uti arbitror. Meram enim in illis dittographiam agnosco non *quaero* vocis sed proximae *servos*. Nempe sic scriptum fuisse suspicor in eo exemplari, unde Wolfenbüttelanus fluxit: *quero s'uos servosne*. Unde qui ortum sit illud *queros quos* ostendunt hae ex eodem libro excerptae scripturae: p. 64, 20 Halm. *quos pro vos* et p. 69, 16 *sequor pro servum vel servom*. Nec quod ita dupliciter scriptum *servos* nanciscimur, praeter morem accidit in hoc codice, in quo talia leguntur, quale hoc est p. 39, 13 *servare per conservare positionem* pro *servare per compositionem* et p. 68, 24 *fortunas vestrasque nostras* pro *fortunasque nostras*.

Pro Sestio p. 26, 57: *Rex Ptolemaeus, qui, si nondum erat ipse a senatu socius appellatus, erat tamen frater eius regis, qui cum esset in eadem causa, iam erat a senatu honorem istum consecutus*. Verba postrema *hon. ist. cons.* cum in Parisiensi manu secunda addita supra lineam legantur, et

ipsa propter *istum* pronomen scrupulum de veritate moveant, iure ab Halmio pro falso veteris lacunae supplemento habita sunt. Qui cum duplicem resarciendi defectus rationem suaderet, *iam erat a senatu [illum honorem consecutus]*, quod in editione expressit, vel *iam erat a senatu [rex appellatus]*, miror eum non usum esse in hanc rem scholio Bobiensi, quod in editione sua Sestianae Lipsiensi a. 1845 illi loco adscripsit: *Ptolemaeus, qui se nondum] Σημαίνει hunc etiam Ptolemaeum regem Cyprī amicum a senatu appellatum fuisse, quando quidem frater eius, qui in Aegypto regnabat, consecutus iam societatis et amicitiae honorem videretur.* Unde hoc quidem paullo certius colligere licet, abesse a probabilitate alteram, quam Halmius proposuit, supplendi rationem. Immo, cum haec verba eiusdem orationis respicio, quae 27, 59 leguntur: *regnat hodie et amicitiae nomen ac societatis, quod armis violarat, id precibus est consecutus.* duce scholiasta mutilam orationem ita reparo: *iam erat a senatu [societatis et amicitiae honorem consecutus.]*

Sed sunt haec levidensia, quibus praeludere paullo gravioribus volui. Ad Atticum II, 9, 1 *Festive, mihi crede, et minore sonitu, quam putaram, orbis hic in re publica est conversus: citius omnino, quam oportuit, culpa Catonis, sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Aeliam legem, qui Iuniam et Liciniam, qui Caeciliam et Didiam neglexerunt.*

Labem traxisse *rursus* vocabulum cruce praefixa Orellius significat, qui tamen eo, quod *prorsus* a Cicerone scriptum esse coniecit in adnotatione, vix probabile quid assecutus est: nec video, quo praesidio ei suspitioni locus, quem affert, ad fam. IV 10, esse possit. Quid senserit scriptor, non potest obscurum esse ei, qui enuntiati conformationem propius aspexerit. Modum declaravit, quo in re publica sit orbis conversus, reique festinationem quidem Catonis culpa ortam notavit: restabat id, quod summum erat, ut quorum scelere ipsa evasisset conversio, indicaret. Qui sensus scriptoris quo e verbis emergat, ita scribendum: *Festive — —*

orbis hic in re publica est conversus: citius omnino, quam oportuit, culpa Catonis, sed conversus improbitate istorum, qui. Unde gratam membrorum nanciscimur oppositionem, cui inservit maxime *omnino* particula, quae hoc loco ut alibi saepius non multum a *quidem* vocolae notione divergit. Cf. Halmius in commentariis ad Sestianam p. 121 et in indice s. v. Nescio an eam, qua usus sum, mutationem etiam vindicare debeam. Posita est origo corruptelae in eo, quo *con* praepositio scribi solet, compendio, nec fere aliter *conversus* abiit in *rursus*, quam in Diris v. 59 *convertens* in *cutens* Parisiensis. Cf. Naekii comm. ad Val. Cat. p. 94.

Adde alterum oblitteratae praepositionis praefixae exemplum. Quod petam e Cicerone de legibus II 12, 29: *Plures autem deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes et respondendi iuris et confitendarum religionum facultatem afferunt.* Nempe *confitendarum* vocabulum criticos exercuit et largam opinionationum segetem procreavit, quam novissimus editor in commentario exposuit: *conficiendarum; conferendarum; conservandarum; concipiendarum; constituendarum; continendarum; cum fide tuendarum; contuendarum.* Non excutiam singula, nec haerebo in Zumptii rationibus, quibus defendi posse traditam scripturam opinatur. Repono, quod verum est: *profitendarum.* Hoc enim sacerdotum officium erat, ut et ius responderent, et profiterentur religiones. Nolo notum lironibus *profitendi* usum illustrare. Appono Ciceronis e Pisoniana locum 29, 71: *si quidem philosophia, ut fertur, virtutis continet et officii et bene vivendi disciplinam: quam qui profitetur, gravissimam sustinere mihi personam videtur;* ut et ibi in Vaticano quidem *profitetur* depravatum esse in *confitetur* admoneam. Nec rara alibi earum praepositionum praefixarum oriunda e compendio mutatio, velut apud Iuvenalem VI 123 *constitit* interpolati exhibent, cum in Pithoeano et aliis recte *prostitit* legatur; et apud Horatium in saliris I 7, 21 *procurrunt* Blandinius vetustissimus, *concurrunt* tres reliqui Blandinii cum Bernensi et aliis. Ac videatur alicui hac

ratione Petronii locus restitui posse, qui legitur in poemate de bello civili v. 210

*Dum Caesar tumidas iratus deprimit arces,
Interea volucer, motis conterrita pennis,
Fama volat, summique petit iuga celsa Palati.*

Moesslerus enim in perbona commentatione de Petronii poemate (Vratisl. 1842) p. 23 ex Autesiodorensi et Bernensi libris *pinnis* reponit, eamque vocem non de alis volucris Famae, sed de arcibus intelligendam arbitratur. 'Arcium enim concussis a Caesare culminibus, non motis ab ipsa pennis, conterrita Fama dicenda erat.' Quapropter *exterrita* mavult quam *conterrita* scriptum esse, in hanc sententiam: 'territa et pinnis, ut sede sua, excussa.' Praeferret ipse, ut puto, post illa, quae supra disputavi, in eandem sententiam *proterrita*: velut Cicero, ut mittam alios, de republica I p. 6 Heinr. ait: *Themistoclem patria, quam liberavisset, pulsum atque proterritum*. At ut hoc non improbable sit, addubito tamen de omni, quam ille secutus est, explicatione. Cum enim hos Virgilii versus considero Aen. V 215

*Qualis spelunca subito commota columba —
Fertur in arva volans plausamque exterrita pennis
Dat tecto ingentem.*

et ibidem 505

*Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales et ingenti sonuerunt omnia plausu*

nolim in Petronii loco vel motarum alarum (sive *pinnae* dicuntur sive *pennae*) vel ipsam terroris notionem obscurari. Volucrem Famam ait poeta movere ut in terrore alas et velocius ad iuga Palatii volare. Nam licet aves 'non suo ipsarum motu pennarum conterreantur', nihil haec ita coniungere cogit: immo artificiosam agnosco verborum collocationem, quae qualis sit, hac distinctione (vulgo enim perperam interpungitur) significo:

*Interea volucer motis, conterrita, pennis
Fama volat.*

Ut motis pennis, utpote conterrita, volare volucris (vel ut Petronio placuit *volucer*) Fama dicatur.

Attingam hac occasione alia quaedam in eadem Petroniani poematis parte, quae etiam post acutam Moessleri disputationem criticam manum expectant. Inde a v. 226 haec vulgo leguntur in descriptione fugae:

Ille manu trepida natos tenet: ille Penates

Occultat gremio, deploratumque relinquit

Limem, et absentem votis interficit hostem.

Sunt, qui coniugibus maerentia pectora iungant:

230 *Grandaevosque patres oneris ignara iuventus,*

Et pro quo metuis, tantum trahit. Omnia secum

Hic vehit imprudens, praedamque in proelia ducit.

V. 230 *oneris* non esse germanam scripturam olim viderunt et accuratius Moesslerus ostendit, qui prolatum a Stephanus *umeris* probabiliter commendat. Iam *ignara iuventus* cum possit aliquo modo explicari, tamen non abest dubitatio, quoniam verbum, unde illa suspensa sint, desideratur. Nec enim quod vulgus interpretum putavit, e proximis *trahit* etiam ad illa *grandaevosque patres* e. q. s. referri posse, sano iudicio Moesslerus cognovit, ipse de eorum restitutione desperans. Videor mihi eum versum, ut a poeta scriptus videatur, reparare posse:

Grandaevosque patres umeris fert gnava iuventus.

Haeret autem nunc eo magis sententia in proximis:

Et pro quo metuit, tantum trahit.

Quae, sive *et* scribis cum Antonio sive *id*, quod est in libris, non possunt apte cum illis *grandaevosque patres umeris fert gnava iuventus* coniungi, et per se ipsa manca sunt, cum absit, unde *trahit* pendeat, subiectum. Quare Moesslerus cum ea prosam magis orationem quam carmen decere opinetur, ex indiculo marginali orta esse suspicatur, pariter ut illa, quae v. 221 leguntur:

Quantum quisque timet, tantum fugit ocior ipse.

Quibus quidem ibi, ubi vulgo habentur, interrumpi ineptis-

sime sententiarum tenorem demonstravit. Haec igitur coniuncta cum v. 231 in hunc modum: *Quantum quisque timet, tantum fugit: pro quo metuit (timet) tantum trahit* olim in margine ad significandum carminis argumentum apposita, postea dirempta et in heroicorum speciem suppleta in ipsa esse poetae verba illata. Sed haec cum ille sagaciter disputaverit, tamen ne sic quidem tolli omnes difficultates arbitrator. Sic nunc mutilum nanciscimur v. 231, unde demptis istis, restat exitus *Omnia secum*. Et tamen cognatio quaedam sententiarum apparet in his: *Id pro quo metuit tantum trahit. Omnia secum. Hic vehit imprudens*. Diluculo enim oppositio dispicitur, inter eum, qui eis tantum, pro quibus maxime timet, arreptis fugit, et imprudentem alterum, qui omnia secum vehit et praedam in proelia ducit. Itaque non perperam invectum v. 231, sed ante hunc intercidisse unum versiculum suspicor: ac circumspicienti mihi supplementum lacunae commode obvenit v. 221, qui cum ibi ubi nunc legitur, ferri nullo modo possit, coit aptissime in unam sententiam cum his: *et pro quo metuit*. Nempe hoc ordine se olim versus excepisse conicio:

226 *Ille manu trepida natos tenet: ille Penates*

Occultat gremio, deploratunque relinquit

Limen, et absentem votis interficit hostem:

Sunt, qui coniugibus materentia pectora iungant,

230 *Grandaevosque patres umeris fert gnava iuventus:*

221 *Quantum quisque timet, tanto fugit ocior ipse*

231 *Et pro quo metuit tantum trahit. Omnia secum*

Hic vehit imprudens, praedamque in proelia ducit.

Nihil dicam de sententiarum continuatione, quae nunc addidum concinna apparet. Hoc addo, nunc suam vim redditam esse ipse pronomini in exitu v. 221, quod eo loco, ubi vulgo is versus legebatur, cum prioribus tum Moesslerero difficultates procreavit. Quomodo disturbatus fuerit versuum ordo, dicere non possum: sed sunt in hoc carmine multa luxata, velut eam, quae inde a v. 233 legitur, comparisonem nec inte-

gram esse nec suo ibi loco haberi mihi persuadeo. Cui incommodo quomodo medendum arbitrer, quoniam ampliorem disputationem requirit, alias expromam.

Sed redeo ad Ciceronem de legibus, ut defungar breviter loco valde intricato, qui eodem, in quo supra deversabamur, capite extat: *Feriarum festorumque dierum ratio in liberis quietem habet litium et iurgiorum, in servis operum et laborum. Quas compositio anni conferre debet ad perfectionem operum rusticorum. Quod tempus ut sacrificiorum libamenta serventur fetusque pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est.* Nolo recoquere superiorum ineptias, sed exordiar a circumspecta emendatione Halmii in Philologo Schneidewini I p. 177: *rusticorum: utque ad tempus statum sacrificiorum libamenta serventur fetusque pecorum.* Qui probe assecutus est sententiam loci, quam requirit ipsa legis, quae his explicari debebat, formula: II 8, 19: *Certasque fruges certasque bacas sacerdotes publice libant: hoc certis sacrificiis ac diebus: itemque alios ad dies ubertatem lactis foeturaeque servant.* Exhorruit quidem Halmii, quam putavit, violentiam is, qui novissime hos libros edidit, Feldhüegelius, qui ut aiunt, *καπνόν γε φεύγων ἐς τὸ πῦρ ἐξέλεσεν.* Nam cum reponat: *adque tempus ut sacrificiorum libamenta serventur*, videat, quo iure in Ciceronem inferat *adque* ut sit pro *et ad*: et ipse gaudeat hac, quam aliis commendat, concinnitate *sacrificiorum libamenta et fetus pecorum.* Hoc viderat Halmius *sacrificiorum* non debere cum *libamentis* coniungi. Nec tamen vel haec *libamenta fetusque pecorum* Cicerone digna esse concedo. Libamenta enim cum varia esse possint, ne inconcinne dixisse et parum accurate suam ipse legem explicuisse videretur, certius definire libamentorum genus debebat. Quare qui legis verba respiciat, non contradicturum opinor mihi haec ita a Cicerone elata esse censenti: *frugum libamenta fetusque pecorum.* Vocem, quam intuli, non improbable est propter vicini vocabuli *sacrificiorum* exitum intercidisse, in his maxime libris, in qui-

bus mutila et lacunosa multa occurrant. Sed tamen dum propius totius loci rationem considero, incidit suspicio *sacrificiorum* nomen, quo facile caremus, ex interpolatione ortum, extrivisse eam, quam restituimus, vocem *frugum*. Nimirum sic demum sine offensione legi locus videtur: *rusticorum: suumq; ad tempus ut frugum libamenta serventur fetusque pecorum, quae dicta in lege sunt, diligenter habenda ratio intercalandi est.* Superscripsi, quo in oculos incurrat causa corruptelae, interlinearem nescio cuius annotationem, ad *tempus* definiendum haud dubie appositam. Reliqua quae mutavi sunt illa sane paullo leniora Halmianis quae ne ipsa quidem ego ob violentiam repudiarem: *suum* similis vicinae vocis finis detrivit: *que ad* autem coaluerunt in *quod*. Tantum est.

Scribebam Vratislaviae Kal. Febr. MDCCCLVIII.